

Hind

De

responsis  
Prudentum

.1791



77



4727.  
81

DE  
RESPONSIS PRVDENTVM

---

PARENTI OPTIMO  
D. IOHANNI CHRISTOPHORO  
KINDIO

CVRIAE SVPREMAE CONSISTORIALIVMQVE CAVSARVM

PATRONO ET VRBIS PRAETORI

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES  
SEMISAECVLARES

FRATRVN NOMINE GRATVLATVR

D. CAROLVS CHRISTOPHORVS KINDIVS

CVRIAE SVPREMAE ET CONSISTORII ADVOCATVS

Ka  
LIPSIAE A. D. VI ID. MART. MDCCLXXXVI

3387

---

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

DE  
RESPONDIS BRADERTIVM

PARENTI OPTIMO  
D. IOHANNI CHRISTOPHORO  
KINDIG

STYLIUM IN THEOLOGY  
HONORIS  
SERVATIUM  
MAGISTRI



D. IOHANNIS CHRISTOPHORI KINDIG  
MAGISTRI  
HONORIS  
SERVATIUM




## VENERANDE PATER

Qui a primo vitae halitu me puerum adolescentem  
iuuencinque amplexus multis, iisque magnis et innu-  
merabilibus, beneficiis exstructum iussit singularis ille  
Tuus in me amor, patientiam spondet pietatis debitae  
argumentum hisce schedis edituro. Quis enim, quae-  
so, summos, quibus Tu, Venerabilis Senex, altera  
vice hodie splendes, in philosophia honores Tibi me  
lubentius gratulari, quis animo proniori adprecari  
posset Senectutem quietam, placidam, beatam cru-  
damque

BERNARDUS PATER

damque, Tuis meritis, quem auctum dilectissimorum  
praeterea fratrum laudabile desiderium excitavit prae-  
conem? Age igitur filii non hecatomben sed molam  
salsam, quam sacrificat noli spernere: nam, si has pla-  
gellas serena susceperis fronte, amabis, ut confido,  
et in posterum

FILIVM TIBI DEDITISSIMVM  
CAROLVM CHRISTOPHORVM



PROOEMIUM

**R**esponsa prudentum <sup>a)</sup>, quae fuerint Romanis, quae nobis sint, accurate ponderandum est. Nam illorum cum his qui contendere cogitaret similitudinem omni ex parte absolutam, iuris historiae tum vetustioris tum recentioris proderet ignorantiam, formae iudiciariae tum Romanae tum Germanicae tironem se viua pronuntiaret voce. Et vt reticeam, quae fuerit illorum apud Romanos <sup>b)</sup>, ingentem auctoritatem, quippe cuius rei latior expositio vtramque huius libelli paginam facit, hoc albo hic lapillo notare lubet, aliam plane apud veteres Jureconsultos, quam quae apud nos est, legum interpretandarum libertatem, alium etiam fuisse in iudiciis procedendi modum. Quum igitur nunc scribendi aliqua contigerit opportunitas, quomodo noster respondendi modus a Romano differat, paulo adcuratius exponere expositumque lectoris arbitrio relinquere constitui, et quia in omni re certus ordo obseruandus, quo suauior atque iucundior fiat non ipsa tantum lectio et causae cognitio, sed faciliior etiam atque aequior rei decisio atque diiudicatio, in prima opusculi parte de Romanorum responsis eorundemque fortuna ideo dicendum duxi, vt altera sectio, vsum complexa hodiernum, de horum, quae sub initio asserui, veritate sponte loquatur.

<sup>a)</sup> Definitionem vid. §. 8 Inst. de iure nat. gent. et civ. vbi haec occurrunt: „*Responsa prudentum sunt sententiae et opiniones eorum, quibus permixtum erat de iure re-*

„*spondere.*“ Hi, qui fuerint, ex sequentibus patebit.

<sup>b)</sup> Inprimis ab Augusto vsque ad Iustinianum, vid. infra Cap. I §. VII.

CAPVT I

De responsis prudentum Romanis eorumque fortuna  
breuis delineatio.

§. I

Varia iuris Romani scripti fuisse capita, diuersas partes, ab ipso Justiniano imperatore L. 3 Inst. de iure nat. gent. et civ. narratum legitur, et quod Prudentum responsis insignire placuit segmentum, aliis quoque elogiis prae reliquis iuris engraphi partibus effuluisse, res est inter iuris Romani peritos satis cognita, satis trita <sup>a)</sup>. Nam Leges, Plebiscita, Senatusconsulta, Principum Placita et Edicta Magistratuum laconica breuitate comprehensa <sup>b)</sup>, explicationis clarae atque perspicuae auxilio admodum indiguerunt, nec cum hac contenta, iustam insuper atque aequam, quae Iureconsultorum fuit <sup>c)</sup>, ad facta obuia desiderarunt adplicationem. Cui legum interpretandarum et ad facta humana adplicandarum arti iam a primis reipublicae incunabilis Patriciorum ordo et collegium Pontificum vacasse, a rerum Romanarum scriptoribus perhibetur. Quam enim illis de iure respondendi et patrocinandis plebeiis indulsit Romulus eo animo veniam <sup>d)</sup>, vt nexum aliquem patricios inter et plebeios seruaret, horum auctoritas atque audacia vsurpauit. Et licet Pontifices censoriae notae obnoxii a Tribunis plebis cogi ad officium possent, haec censura atque Tribunorum coercitio, quod

a) Sic responsa prudentum iuris civilis *αὐτῶν τοῦ νόμου* talis, consuetudinarii, commentitii, recepti receptarumque sententiarum nomine inclaruerunt.

b) Cuius rei vt luculentum, ali-quod adit exemplum, commemorare liceat leges XII tabb.: quis

enim est, qui in his sermonis compressionem non admitetur?

c) Munus enimvero Iureconsultorum in respondendo, scribendo, cauendo inprimis versabatur, vnde venit, quod ipsi *militēs togati* recte adpellarentur.

d) Vid. *Dion. Halic. Lib. II cap. 9.*



7

quod ex mox dicendis a rerum humanarum gnaro facili negotio animaduertendum erit, rarissime tamen illis accidit. Pontificibus causarum ad sacra quomodocunque pertinentium cognitio, diiudicatio, executio, cum ferendarum de sacris legum potestate concessa, et ipsorum arbitrio relictum fuit, sacerdotes omnesque deorum ministros ad officia excitare, immorigeros atque delinquentes poenis plectere, cultum diuinum ordinare, dies denique pro lubitu factos indicere et nefastos \*). Sed alia etiam, quae in promptu est, accessit huius rei causa. Nemo ante Tiberium Coruncanium plebeius, quid quod nemo adeo patricius, de comparanda sibi pontificali dignitate cogitare potuit, nisi ex gente aliqua illustri ortus, cunctorumque patriciorum et senatorum electus suffragio. Pontifices igitur, quorum dignitatis fastigio omnia in ciuitate subiecta erant, civibus omnibus potuerunt fauere. Sic censorem et plebis tribunos sibi conferuarunt fidos deditosque, sic omnes reipublicae proceres in sententiam voluntatemque suam traxerunt.

## §. II

Mutato reipublicae statu, patefactis diuulgatisque populo ad ann. V. 449 et 552 per Cneium Flauium et Sextum Aelium Catum f) patriciorum et pontificum mysteriis, facultas quoque de iure respondendi mutationem passa est ita insignem, vt Tiberius Coruncianus, vir, vt Marcus Tullius Cicero auctor est, singularis g), sanctus h), prudens i), peritus k), a natura praeclare dotatus l) et summis ideo quas Latium tulit, haud immerito

e) *Exempla Liuius* habet Hist. Rom. Lib. V cap. 25 et Lib. VI cap. 1. conf. *G. H. Nieupoortii* succinctam explicationem rituum Romanor. Sect. IV cap. 2 §. 2 et *Petri Burmanni* Antiquit. Rom. Cap. III §. 4.  
f) Vid. *Io. Gottl. Heineccii* hist. iur. civ. Lib. I §. 48 et 49. et *Io. Aug. Bachii* hist. iurisprud. Rom.

Lib. II Cap. II Sect. IV §. 4 et 5. pag. 222 et 223.

g) *Cicero* de nat. deor. II 56.

h) *Idem* in Laelio cap. XI.

i) *Idem* de Oratore III, 33.

k) *Idem* in Orat. pro Domo, Cap. 54.

l) *Idem* in Bruto cap. 14.

merito dixeris, honoratus dignitatibus <sup>m)</sup>), primus plebeius respondendi de iure periculum fecerit cum euentu felicissimo, et breui post alios etiam eiusdem ordinis homines numerauerit sibi comites <sup>n)</sup>). Omne per Coruncanium inter plebeios et patricios, si tam ad facultatem respondendi de iure quam ad summam in republica dignitatum ambitionem respicias, discrimen obsoletum euanuit.

### §. III

Nunc ad Octauii Augusti aeuum <sup>o)</sup>). Hic postquam lege Regia <sup>p)</sup>) summam sibi parauerat potestatem, iura maiorum abrogare, noua constituere coepit <sup>q)</sup>). Quod institutum quo laudabilius procedat, eo magis necessarium sibi existimauit princeps Sapientissimus Jurisperitorum consilium. Nec spes, quam intimo pectore preffit, eum fefellit. Quorum igitur opera in abrogando promulgandoque iure fuerat usus, eorum praemium de nouo illo iure respondendi facultatem esse posse putauit. Itaque certis, iisdemque prudentissimis, quos ipse explorauerat, uiris, hanc veniam beneficii loco concessit. Nunc nemini, nisi cui priuilegium ex caesaris gratia indultum esset, de iure respondere licuit. Neque tamen hac Augusti constitutione eandem, quam ante Tiberii Coruncanii tempora obtinuisse uidimus <sup>r)</sup>), iurisprudentiae formam reuocatam fuisse putandum est. Augustus enim, sublato omni inter ciues suos discrimine, illos tantum, quorum iurispreritiam et ingenium in enucleando codice cognouerat, caufarum uoluit patronos, legum dubiarum inter-

<sup>m)</sup> Sic Consulatum ao. V. 473, Pontificatum maximum ao. V. 500. ambiit, conf. *Liu i epit.* Lib. XVIII.

<sup>n)</sup> conf. *Leg. 2 §. 38. D. de orig. iur.*

<sup>o)</sup> conf. *Sueton.* in uita Octauii Augusti.

<sup>p)</sup> *Tacit.* *Annal.* Lib. III cap. 28, et Lib. XII cap. 26.

<sup>q)</sup> *Henr. Frid. Innoc. Apellii* diss. inaug. super legislatione Augusti imperatoris, Lips. 1765. *Jo. Gottl. Heineccii* hist. iur. civ. Lib. I §. 168 - 174 et *Jo. Aug. Bashii* hist. iurisprud. Rom. Lib. III Cap. I integr. pag. 267 seq.

<sup>r)</sup> supra §. I.

interpretes. Quam Diui Augusti de Jureconsultis functionem filius adoptatus et imperii successor Tiberius Nero <sup>1)</sup>, cum reliquis vsque ad Hadrianum imperatoribus diligenter seruauit <sup>2)</sup>. Attamen mirus aliquis, qui imperante Hadriano accidit, casus ad innouandam hanc iuris prudentiae faciem illum commouit. Narrat Pomponius <sup>3)</sup>, „optimum principem Hadrianum, quum ab eo uiri praetorii peterent, ut sibi liceret respondere, ita rescripsisse: hoc non peti, sed praestari solere, et ideo si quis fiduciam sui haberet, delectari se, populo ad respondendum se praepararet <sup>4)</sup>.“ Libera idcirco hoc ipso principis optimi placito omnibus Quirinis, qui studiorum habuere fiduciam de iure respondendi, quae post Coruncanii ad Augusti tempora fuit, potestas restituta, clariorque in iuris prudentiae Romanae annalibus lux accensa est.

#### §. IIII

Quemadmodum uero praetores per edicta, quae menstrua recte nominabis, ac per restitutiones et fictiones suas ius ita effecerunt incertum, ut ipse Hadrianus, quo illorum audaciae et partium studio metam poneret, per Saluum Julianum a. Chr. 131 edictum aliquod perpetuum promulgare manus adiecerit, ita etiam diuersis ac sibi nonnunquam ex diametro contrariis Jureconsultorum, quas hic enumerare a scopo foret, sententis, dubium ualde irrepfit ius, incertae leges natae sunt. Quem iuris prudentiae morbum quamprimum sanandum communi suffragio iudicarunt ipsi prudentes, multi etiam colligendis suis oraculis pharmaca praepararunt <sup>5)</sup>. Idem fecit Julius Paullus

<sup>1)</sup> Sueton. in uita Tiberii Neronis.

<sup>2)</sup> Tiberium Massurio Sabino (a quo *Sabiniani* dicti) de iure respondendi beneficium confirmasse, patet ex Leg. 2 § 47 D. de orig. iuris.

<sup>3)</sup> in Lege de mon. laud. quae est in hac materia classica.

<sup>4)</sup> Hinc fuere, qui examen,

quod noui Justiniani apud nos finire debent, inde deriuarent, quam tamen sententiam peruersam exillimauit cum *Bachonio Jo. Baltb. Weynberus* Selectt. Obsf. for. Tom. III Part. III Obsf. XXX.

<sup>5)</sup> Sic Aemilius Papinianus responsorum libros XVIII, Domitius Ulpianus

Paulus *πολυγραφωτατος*, Seueti et Caracallae imperatorum consiliarius, cuius *receptarum Sententiarum Libri V* ad filium partem et hodie faciunt corporis Justiniani. Neque hi omnes, quod machinati sunt, emetiri potuerunt, imo magnam responforum auctoritas imperantibus Theodosio et Valentiniano fecit iacturam. Auctae quippe Jureconsultorum dissidiae frequentibus illis ad caesares relationibus ansam praebuerunt. Theodosius et Valentinianus Papiniani Vlpiani, Pauli, Modestini aliorumque veterum responsa ita extulerunt, vt his tantum communem in foro retinuerint auctoritatem, et hoc modo fieri aliter haud potuit, quin Jureconsultorum istius aevi auctoritas valde restringeretur. Reformationem coeptam ad finem perduxit Justinianus, qui legum interpretandarum potestatem caesaream esse voluit, et leges quidem auditoribus tradere prudentibus permittit, commentarios edere, ne loquacitate sua ipsa codicis verba euerterent, diserte prohibuit \*), simulque illam, quae post Augustum responforum fuit, auctoritatem in aeternum proscripsit.

§. V

Haec facultatis de iure respondendi fata, nunc de eo, quod circa ipsa prudentum oracula iustum apud Romanos fuit, agendum est. Juris interpretationem esse scimus authenticam vsualem atque doctrinalem. Authentica legislatoris est, vsualis atque doctrinalis Jureconsultorum, atque vel consuetudinem longaeuam vel casus similiter iudicatos primarios agnoscunt fontes, ex quibus hi in rebus forensibus decidendis hauriunt. Sed quum libera admodum, vt iam vidimus, apud Romanos Jureconsultos legum explicandarum fuisset ratio, quumque leges paulo obscurae extensiuam restrictiuam et grammaticam admittent interpretationem, inde effectum est, vt hae legum notae a viris peritissimis ac celeberrimis compositae, vsus frequen-

tia

Vlpianus responforum libros V, Herennius Modestinus responforum libros XVIII reliquerunt; conf. *Jo. Gottl. Heineccii* hist. iur. ciu. Lib. I §. 327—350. et *Jo. Aug.*

*Bachii* hist. iurisprad. Rom. Lib. III Cap. II §. 19—42. pag. 481 seq. \*) conf. *Jo. Balth. Wernberi* Select. obss. forens. Tom. III P. III obf. XXX.

tia sensim sensimque suffultae ipsa legum verba in tenebris relinquerent abscondita. Accessit insuper ex Augusti gratia alia his auctoritas eo, quod ipse caesar tantum iisdem ponderis ad dederat, ut iudices in dirimendis litibus illa sequi tenerentur, de quo privilegio infra amplior dicendi locus erit.

#### §. VI

Et primum quidem responsa a Jureconsultis Romanis ad clientium vel auditorum instantiam domi vel in foro data fuisse, sciendum est. Cui igitur de hoc vel illo obiecto lis coram praetore mota, ceu qui alium in ius vocatum actione sua experiri cupiebat, prudentem, quem rei gnarum fecerat, consultum, quid iuris sibi foret, interrogabat. Hic ponderata satis causa, legibus etiam in consilium vocatis, ex recepto arbitrio sententiam coram praetore pronuntiabat. Quia tamen utriusque litigantium Jureconsultos de lite sua consulere licuit, neque his omnibus eadem semper in iure placuerunt, ipsa haud raro responsa sibi contradixere. Diversas nunc praetoris fuit componere sententias, neglectis responsis aequitas in re dubia ius vicit<sup>9)</sup>. Sin vero, quod interdum contigit, responsa sibi essent conformia, partes iudicati tempus expectabant, ut executione, qui causa steterat, victum, quod praestari sententia voluit, appellere posset, et reus ne condemnaretur ultra id, quod facere vellet. Sic responsa periculo praetoris inserta nec intra decendium a partibus propugnata in rem iudicatam transibant.

#### §. VII

Quae hactenus de responso vi et efficacia disseruimus, ad illud, quod a libera republica ad Augustum fuit saeculum, restringenda sunt. Hic enim, qui certis Jureconsultis de iure dicendi dederat facultatem, huic aliud, illudque favorabilius, adiunxit privilegium: nam iudices iussit lites ad prudentum responsa tanquam ad scriptum ius decidere. Quam ante constitutionem Jureconsultos sententias suas in forma arbitrii cum

B 2

par-

9) conf. Leg. 38. princ. D. de re iudicata, iunct. Leg. 70 D. de iure dotis.

partibus communicasse diximus, legis igitur auctoritate ante Augustum, quia iudicibus de iis recedere remque de simplici et plano dirimere liberum fuit, responsa caruerunt, ex quibus, quae post Augustum illorum fuerit auctoritas, quae vires, sponte colligendum est. Alius nunc etiam respondendi modus frequentatus est, quum, quae antea viva voce prolata, litteris nunc cera obsignatis <sup>2)</sup> vel partibus tradita vel iudici insinuata sint, ut hic illorum copiam partibus faceret. Inde Jureconfulti post Augustum *rescripisse* dicuntur, quod rursus maiestati caesareae vindicavit Justinianus.

2) Fortassis ex hoc dicasteriorum tias origines ducit. nostrorum mos obsignandi senten-

## CAPVT II

### *De responsis prudentum hodiernis, et quae sit illorum auctoritas.*

#### §. I

Vidimus nunc quae receptorum sententiarum apud Romanos fuerit fortuna, quae ad varia tempora auctoritas, his de nostro iure aliquid adicere cum aequitas tum instituti ratio suadet. Germani, licet iure suo et ante receptum peregrinum ius nunquam fuerint destituti, et mores valde amasse dicantur <sup>a)</sup>, illis tamen excolendis colligendisque nullam fere operam impenderunt. Et omne quidem ius in Centenorum <sup>b)</sup> et Scabinorum

<sup>a)</sup> vid. *Tacit.* de moribus Germ. Cap. 19 §. 6. *Henr. Gottl. Frankii* Diss. de iurisprudētia veterum Germanorum, Lips. 1728. *Paull. Hæberberg* de legibus veter. Germanor.

in Germania antiqua dissert. III pag 41 seq.

<sup>b)</sup> conf. *Tacit.* de moribus Germanor. Cap. XII in fin. *Jo. Gottl. Heineccii* hist. iur. civ. Lib. II §. 5 not. x.

rum (quos prudentes nominare propterea dubitabam, quia illorum prudentiam admodum fuisse mediocrem constat) manibus rapidis positum erat. Hi soli morum interpretes, litium cognitores et executores. Quae iurisprudentiae miserima facies sensim sensimque mitiorem et sereniorem induit vultum. Nam imperantibus Fridericis I, II, et III cum Jureconsultorum peritiam ipse discipulorum numerus mire auctus, dotandis saeculo XIII academiis, Viennensi puta, Erphordienfi, Heidelbergensi, Jngolstadtienfi aliisque causam dedit. In his antecessores discipulis iura patria et peregrina sedulo proposuerunt, clientiumque iura adiuuerunt responsis, omnibus denique, qui studiorum suorum fiduciam habuerunt, de iure respondendi libera fuit potestas.

## §. II

Sed ne iniurius videar in Scabinos, qui Saeculo XII, XIII, XIII, XV, et XVI in primis florere, Magdeburgenses, hic paululum subsistam. Tantum enim hi viri responsorum suorum prae aliis excellentia per vniuersam sibi Germaniam comparauerant nomen, vt exterarum etiam prouinciarum iudices, non sine inuidia, Magdeburgensia illa responsa arcessere a clientibus quotidie stimulantur, et ipsae adeo partes, iudicum sententiarum offensae, ad Scabinos Magdeburgenses legum tanquam ac iuris dictatores prouocarent. Colligenda igitur responsa, vniuersi ad sensum in cultioribus totius Germaniae partibus recepta, vt certum aliquod Magdeburgense ius, ad quod tum ciues tum peregrini confugere possent, ipsi censuerunt Scabini, ex quo *ius municipale Magdeburgicum*, quod vulgo, at minus recte, *ius Weichbildicum* appellatur, natum, lapsu temporis ita inclaruit, vt aliae ciuitates, inter quas *Gorlicensem* in primis nominare iuvat, publicam illis collectaneis et iuris adeo consuetudinarii, quid quod scripti auctoritatem non denegarent <sup>c)</sup>. Vt autem recentiori aevo praesertim in academiis respondendi mos frequen-

B 3

qua-

c) conf. Aug. Frid. Schotti institutiones iur. Sax. elect. priv. proleg. §. 22 et 23.

quentatus et priuilegiis caesaribus stabilitus est, Magdeburgerium Scabinorum vis paulatim labefactata tandem suppressa videtur.

### §. III

Ad nostra iamiam tempora filum orationis deducam. Qui summam, vt dicunt, praestito antea sacramento in iure ambiunt dignitatem, eos de iure respondendi prae ceteris inuestiri facultate, experientia docemur. Quae igitur huius doctoralis priuilegii ingentes vires sint, ex templo videbimus. Res *Frantzio* <sup>d)</sup> et *Strykio* <sup>e)</sup> multos inutiles peperit labores. Ille enim creandi doctores iuris, iustitiae sacerdotes, morem, a Diui Augusti priuilegio hinc trahere nullus dubitauit; hic neminem voluit huius iuris capacem, nisi in quem hoc solenni illa inuestitura collatum sit. Itaque causarum patronis doctorali coronahaud ornatis responsa dare prohibuit. Quibus annuit *Hoppius* <sup>f)</sup>. Alia plane, et saniora quidem, *Wernbero* <sup>g)</sup> visa sunt. Licet enim iuris doctoribus illa de iure respondendi praerogatiua per solennem inaugurationem indulgeatur, inde tamen, hanc doctoribus solis dari, male colligitur. Alios praeterea scimus liberalitatis imperialis esse posse socios, et priuilegiatum contra aequae priuilegiatum non vti iure suo. At mittam hos virorum dissensus, ne de nihilo certasse videar, quum ille doctorum respondendi mos diu exoleuerit <sup>h)</sup>.

### §. IIII

Quae cum ita sint vt rem absoluisse quodammodo videar, de dicasteriis nonnihil dicendum est. Praejudicialis igitur haec erit quaestio: quae sint dicasteria? Collegia mihi videntur, quibus facultas respondendi de iure ac ferendi in litibus coram iudice

<sup>d)</sup> ad D. tit. de orig. iur. not. 55.

<sup>e)</sup> in vsu moderno Pand. Tit. de orig. iur. not. 5.

<sup>f)</sup> in Comment. ad Inst. Justin. Lib. I Tit. II.

<sup>g)</sup> loco laud.

<sup>h)</sup> Inprimis in Saxonia iudicibus interdictum legitur mittere codices iudiciales sententiae arcessendae causa ad singulos doctores, per O. P. S. R. Tit. XXXIIII §. 2.



iudice agitatis legibus conformes sententias <sup>1)</sup> ex speciali principis gratia concessa est. Quorum tamen origines fufus examinare, fines huius scripti quum haud permittant, simulque ab instituti ratione quodammodo abhorreat, neglectis his primum responforum nostrae aetatis varia eaque praecipua genera, deinde eorundem in foris nostris auctoritatem breuiter discutiam. Duplici modo a dicasteriis responsa peti, illudque vel a iudicis persona vel a priuato fieri, praemonendum est. Et priuatus quidem ad informationem suam tecto nomine interrogat, adiecta aliqua narratione facti, iudex contra in lite dubia partibus satis auditis et libris iudicialibus in rotulum redactis sententiam cupit. Illinc *responsa in sensu strictiori*, Informate, rechtliche Gutachten <sup>k)</sup>, hinc vero *responsa in sensu latiori*, *sententiae*, *Urtheil*, *rechtliche Erkenntnisse*, a dicasteriis exhibentur. Horum prae illis maior vis est. Quae enim vero in illis ad facti narrationem, de cuius veritate haud cognoscitur, iuris *videntur*, dicasterium ex actis et probatis in his *decidit*.

#### §. V

Neque vero omnem vim responsis proprie dictis infutiat forum, quia facti alicuius aequa ac plana propositio, quae responsi fundamentum, ipsis libris iudicialibus aequipollere videtur. Et vtilitatem haud spernendam iudicibus illa etiam praestant tum, cum, quid iuris de hac illaue lite sit, dubii haesitant. Quomodo enim quaeso hi melius tunc rebus suis confutere possunt, quam dicasterii responsa, quum si hoc in dirimenda lite sequantur, a partibus, quasi male iudicauerint, non conueniantur. Magis salutaria tamen nostra partibus sunt. Sic Jureconfulti omnes eum, qui probare potest, liti suae annuere dicasterii adfessores, a temeritate litigandi, simulque, quod patri-

<sup>1)</sup> Interpretatio tamen legum barbarum dicasteriis Saxonice diserte prohibita est in der Erledigung der Landesgebrechen de ao. 1661. Tit. von Justitien Sachen §. 49. in

Mand. praemisso O. P. S. et nouis Decis. de ao. 1746.

<sup>k)</sup> conf. Carl Ferdinand Hommels teutscher Flauium, sub voce: Gutachten, ubi formulas responsorum huius tenoris habebis.

patrimonio cum maxime conuenit, a restituendis victori impensis liberum pronuntiant <sup>1)</sup>. In lite denique componenda effectum prosperrimo interdum responsa non carent. Nonne enim qui responsum causae, cui fauet, aduersum a dicasterio accepit, faciliorem se atque mitiorem in transactione tentanda praestabit? Nonne lite alteri nondum mota, qui de iure suo dicasterium interrogauit, iuris tenuitate certior redditus a gerenda lite ablinebit?

### §. VI

Grauiori pondere sunt *responsa abusue sic dicta*, siue sententiae, utraque litigantium parte plene audita, inrotulatisque antea actis, a dicasteriis ad iudicis preces datae, quae inter partes quidem, non tamen, ut apud Romanos, in uniuersa ciuitate ius constituunt. Licet enim a iudice apertae vi legis careant, adeoque per iuris remedia legitima intra iustum tempus rescindi possint, auctoritatem tamen suam et leges inter partes, si in illis adquiescant, nec ipsae nullitate laborent insanabili, vim nactae, vel reum dispensant ab omni obligatione, vel executioni viam parant. Aliquam praeterea efficaciam non omnino exiguam in causis praestant similibus. Qui enim praecidium quod dicunt in summa instantia obtentum pro causa afferre, et probare infirmum potest illius adplicationem non incongruam, tantum etiam efficere potest, ut ab impensarum restitutione immunis habeatur.

Sed ne abuti videar lectoris beniuolentia, hisce lucubrationibus finem indicare fas est: satis enim ex dictis probasse mihi quidem uideor, aliam plane Romanorum responso- rum naturam, aliam etiam in primis post Augustum ad Iustinianum usque praes nostris, si illam, quae responso- rum Magdeburgensium apud maiores fuit, in comparandis nostris cum Romanorum responso, excipias, fuisse auctoritatem.

<sup>1)</sup> vid. Scriptores, quos Gerdis ren. c. 1 Abth. Hauptstück 3 §. 21  
nand August Zommel in der An- collegit.  
leitung Gerichts. Acten zu extrahi

Ha 3389

ULB Halle

006 781 004


3



1048







4727.

81

DE  
RESPONSIS PRVDENTVM

PARENTI OPTIMO  
D. IOHANNI CHRISTOPHORO  
KINDIO

CVRIAE SVPREMAE CONSISTORIALIVMQVE CAVSARVM  
PATRONO ET VRBIS PRAETORI  
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES  
SEMISAECVLARES

FRATRVN NOMINE GRATVLATVR  
D. CAROLVS CHRISTOPHORVS KINDIVS  
CVRIAE SVPREMAE ET CONSISTORII ADVOCATVS

*Ka*

LIPSIAE A. D. VI ID. MART. MDCCLXXXI

3387

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

